

rant, *interim* permitterentur, dum de illorum dissentientibus sententiis a Concilio decerneretur. Id factum moleste admodum Pontifex tulit, atque a Germanica legatione Sfrondato Cardinali evocato, Fani Episcopum optimis moribus, & doctrina excultum nuntium ad Cæsarem misit, qui de iis, quæ gesta fuerant, exposculetur, acta rescindi peteret, quæcunque posset Germanicæ genti per Legatos Pontificem concessurum polliceretur. Mox Pighio, ac Veronensi Episcopis in Germaniam missis, prolapsis rebus, nullum remedium morbo favienti afferri potuit, quin in dies augendo sese, ac proferendo, ingenti totius reipublicæ christianæ malo per alias quoque provincias grassaretur. Hujus pestis ne aliqua labes imperium Venetum afficeret, diligens, & admodum severa Venetorum cura, ac diligentia extitit, qua effectum est, ut eam urbem, in quam ex totius orbis regionibus innumeræ gentes confluunt, nulla morbi illius contagia attigerint.

Dum hæc fiunt, diversisque curis, irrequieto studio Principum mentes sollicitantur, Maximilianum Ferdinandi filium, nuper filia connubio junctæ, generum sibi adscitum, Carolus in Hispaniam proficisci jusserat, ut, Philippo in Germaniam proficiscente, Hispaniarum administrationem susciperet. Illi per Reipublicæ fines iter habenti, Vicetiæ, ac Veronæ præfecti obviam ivere, Senatusque nomine liberaliter exceperunt. Philippus vero ad patrem in Belgium iturus, Barcinonæ cum classe, cui Andreas Auria imperabat, solvens V. kalend. decembris Genuam pervenit. Ea in urbe Italorum Principum legatos obvios habuit; Federicum Baduarium, præclara juvenia insignem, qui id muneris obiret, Senatus delegit: is, Patrum nomine Genuæ Philippo consalutato, per Venetas ditones comitatus est. Nulla publicæ Venetorum liberalitatis, ac studii erga præpotentem Principem, Cæsarisque filium officia, atque argumenta desiderata sunt; pons peregrinie ornatus Athesi amni, qua transeundum erat, instratus fuit; eum ad Veronensium fines, nobili, ac frequenti plurimorum corona stipatus Veronæ præfectus excepit, magno variis ex locis mortaliū numero visendi studio confluyente. Inde ex agro Veronensi Tridentum profectus, per Germaniam in Belgium ad Cæsarem Bruscellis commorantem transiit, qui, ut assiduo metu

Ger.

1548

Cæsar edictum promulgari jussit, Interim vocatum.

Paulus Pontifex Fani Episcopum ad Cæsarem mittit ut acta rescinderet.

Pighius & Veronæ Episcopus a Pontifice in Germaniam missi.

Venetorum sedulitas ad hereses a suis ditionibus arcendas.

Cæsar, filia fratris filio unita, illum in Hispaniam mittit Veneti Maximilianum ad fines Reipublicæ excipiunt.

Philippus Rex ab Auria Genuam perducitur. Federicus Baduarius orator ad Philippum Regem.

